UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 76 ad 100

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus XC.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53423

Visual Library

randi. *Respice*, illumina *servos tuos*, & accende ad amorem tuum : & respice in opera bona, quæ tu operari cæpisti in illis. Respice etiam in filios servorum tuorum, seu naturales, seu spirituales, ut omnes te dirigente, in viâ mandatorum perseverent, & tandem salventur.

℣. 19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos : & opus manuum nostrarum dirige.*

Idem petit aliis verbis, ut ostendat, se valde optare, quod petit. *Sit splendor &c.* & *respice* idem est : Deus ut Sol respiciendo illuminat. *Et opera &c.* tu præsidens nobis, fac, ut rectè operemur, legem tuam semper sequendo. *Et opus manuum nostrarum* perseveranter *dirige.* Ostendit opera omnia revocari ad unum opus, quod est radix omnium, nempe opus charitatis.

PSALMUS XC.

TItulus: *Laus Cantici David. In Hebraicis, & multis codicibus græcis hic titulus deest : putatur autem postea additus, ut intelligeremus, Psalmum à Davide fuisse compositum, non à Moyse, cujus mentio fit in Psalmi præcedentis titulo.*

Argumentum Psalmi est *cohortatio ad fiduciam*

ciam in Dei auxilio firmissimè collocandam. Id enim in principio ponitur, & per totum Psalmum varius rationibus confirmatur.

Forma Psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, & ideo non minus elegans, quàm difficilis. Cùm Psalmus hic sit valde utilis, & ad mores formandos accommodatus, eum Ecclesia, quotidiè in officio divino frequentat, idque ad initium noctis, ut, Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Quicunque, sive dives, sive pauper &c. fiduciam firmam, ac constantem collocat in adjutorio Altissimi, spe suâ non frustrabitur, sed omnino à Deo protegetur. Dicitur Deus Altissimus, h. e. in altissimo loco sedet, & videt omnia nostra pericula.

℣. 2. *Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.*

Probat factam propositionem testimonio justi confidentis in Deo, qui de experimento suo testatur. Confitebitur Domino beneficium protectionis acceptum; & hoc est primum, dum Deus hominem lapsum, & ad gehennam ru-

ruentem suscipit; & hujus susceptionis signum est, si homo post lapsum jam resurgat humilior, fortior, & cautior. *Et refugium meum*, hoc est alterum beneficium, quòd Deus ipse erit in omni tentatione refugium optimum, atque firmissimum. Tertium beneficium, & maximum, *Et Deus meus*, seu summum bonum, quod erit in cælo. His tribus beneficiis animatus justus concludit, *sperabo in eum* in omni periculo, & tentatione.

℣. 3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.*

Vir justus, qui dixerat, *sperabo in eum*, subjungit, *quoniam ipse liberavit &c.* Per *laqueum venantium* intellige primò insidias, & fraudes malorum hominum. & tunc *verbum asperum* est ipsum detrimentum temporale, quod indè sequitur; nam *verbum* Hebræi passim accipiunt pro ipsâ re. Intellige secundò insidias Dæmonum, & jam *verbum asperum* est damnum spirituale, seu mors animæ.

℣. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.*

Incipit jam Propheta ipse loqui, & confirmat verba hominis justi, quasi dicat; Meritò dixisti, *sperabo in eum, quia ipse liberavit me &c.* nam velut aquila, aut gallina sub alis suis te

colliget, & sic scapulis suis obumbrabit tibi, ut nec ab æstu Solis, nec à pluviâ, & ventis, nec à morsu milvorum timeas, & sic sub ejus defensione constitutus, spera liberationem, & incolumitatem.

℣. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.*

℣. 6. *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.*

Circumdabit te veritas Domini instar *scuti*. Galea tegit solum caput; lorica pectus, & scapulas; sed *scutum* generalis quædam defensio est, cùm possit attolli, demitti, converti ad omnes partes, & opponi omnibus ictibus. *Veritas Domini* vel est veracitas in servandis promissis, vel est veracitas fidei revelata, e. g. de novissimis &c.; utraque, si bene considerentur, sunt scutum contra tentationes, tam in prosperis, quàm adversis. *Non timebis &c.* jam refert pericula. Non afficieris timore ab ullâ re, quæ de nocte terrere potest; nec timebis offensionem, seu calamitatem ullam diurnam. *A negotio &c.* repetit idem: negotium hic est quæcunque res, vel actio nocturna. *Ab incursu &c.* est idem ac *á sagitta volante in die.*

℣. 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem mil-*

millia à dexteris tuis : ad te autem non appropinquabit.

Hæc est victoria hominis fidentis in Deo, & ritè utentis clypeo veritatis. Porrò David hic admonet justos, ut magni faciant gratiam hujus victoriæ, quia rara est, & ad paucos pertinet. *Cadent enim* in hoc prælio ex commilitonibus *mille à latere*, sinistrâ tuâ, *& decem millia à dexteris*; ad ipsum *autem non appropinquabit*, nec timor nocturnus, nec sagitta volans &c. Ad sinistram, h. e. tempore adversitatis, dicuntur casuri mille; ad dexteram verò, h. e. tempore prosperitatis, decem millia; plures enim ex prosperitate pereunt, quàm ex adversitate.

℣. 8. *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.*

Hæc est nova causa lætitiæ homini justo, cui non solùm promittitur victoria, sed etiam quòd cum magnâ voluptate propriis oculis visurus sit inimicos suos jacentes, & pro meritis punitos. Quæ promissio aliquando hic impletur, sed plenissimè implebitur in die judicii, ubi patebunt inanes impiorum labores.

℣. 9. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

Hic [illegible], quoad verba facilè patet ex ℣. 1. & 2.; sed de connexione non levis quæstio est; omis-

omissis ceteris, sequemur Euthymium. Dixerat Propheta viro justo: *Deus obumbrabit tibi &c. scuto circumdabit te &c, non timebis &c.* His auditis, vir justus interloquitur (diximus post Argumentum, Psalmum esse Dramaticum conversus ad Deum: credo, quæ audivi, & hæc vera sunt, *quia tu es Domine spes mea*, non confido meis viribus, armis, sed in te uno &c. Propheta hoc intelligens, subjungit, rectè, ac sapienter posuisti Deum spem tuam, quia sic *Altissimum posuisti refugium tuum*. Illud Altissimum nomen Dei est, ut sit sensus, elegisti in arcem refugii Deum, qui est *Altissimus*.

℣. 10. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Explicat, quid boni consequatur justus ex eo, quòd refugium sibi constituit in Altissimo. *Non accedet ad te malum* culpæ, vel præservando te à lapsu, vel lapsum ad justitiam revocando. *Et flagellum*, h. e. malum pœnæ, &c. Justus habitans per desiderium in cælesti tabernaculo, mala hæc temporalia vix sentiet, & omnino contemnet; imò mala esse non reputabit, sed bona, quia sunt materia patientiæ, & leges gloriæ. Quanquam liberatio *à malo* culpæ, & *à flagello*, seu malo pœnæ perfecta erit in cælo.

℣.

℣. 11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Illud *Quoniam* connectit hunc ℣. cum seq. ℣., ut sensus sit: *ideo in manibus portabunt &c. quoniam Angelis suis mandavit &c.* Potuisset justus dicere. in cælo ab omni malo ero securus; sed quis me custodiet in viâ, ne fortè errem à recto itinere, vel incidam in latrones, aut foveam? ℟. Propheta: ne timeas, *quoniam Angelis suis &c.* Illud mandatum est præcipua causa, cur Angeli nos diligentissimè custodiant. Dicit *Angelis*, nam præter proprium habemus communes custodes, eos nempe, qui præsunt urbibus, Regnis &c. Vide *Dan. 10. S. Basil. L. 3. in Eunomium.*

. 12. *In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Hic ℣. plenus est metaphoris, sed tamen facillimus. *Manus Angelorum* sunt intellectus, & voluntas seu sapientia, & potentia: nam intelligendo, & volendo omnia faciunt. *Lapides in viâ* sunt impedimenta, occurrentia in hâc vitâ, sive temporalia, sive spiritualia, scandala, tentationes, persecutiones &c. *Pedes* sunt nostri affectus, & ex his duo principales, amor, & timor. Porrò ab Angelo Custode ita juvamur, ut vel occasio peccati tollatur,

tur, h. e. lapis ille de viâ removeatur; vel animus ita illustretur ad vera bona, & vera mala internoscenda, ut pede, h. e. affectu elevato à terrâ, occasio temporalis boni, quod sinè peccato acquiri non potest, facilè contemnatur, & malum temporale, quod sinè peccato vitari non potest, patientissimè toleretur.

℣. 13. *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.*

Dixerat, Angelos bonos justum, in Deo confidentem, custodituros; addit, Angelos malos eidem non prævalituros. Satanam vocat serpentem propter astutiam, & leonem propter ferociam. Et quia multa sunt genera serpentium vocat eum aspidem, basiliscum, & draconem: aspis cum astutiâ, quæ omnibus serpentibus communis est, conjunctam habet obstinationem, basiliscus crudelitatem, draco virium potentiam, quæ omnia Diabolo mirificè conveniunt.

℣. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

Hic testimonio Dei confirmat hactenus dicta. & usque ad finem addit octo Dei promissa: quatuor pertinent ad hanc vitam: *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum,*

eum

cum ipso sum in tribulatione : quatuor reliqua ad vitam futuram : *Eripiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.*

Quoniam in me speravit, liberabo eum, E. g. à tyrannide vitiorum, quæ est libertas propria hominum justorum, & perfectorum, & præter ceteras omnes maximè expetenda. *Protegam eum &c.* nam qui in hâc vitâ liberatur à tyrannide vitiorum, non perfectè liberatur, sed eget protectione Dei, ne iterum captivus ducatur ab hostibus; ut proficiat in libertate gratiæ, donec perveniat ad libertatem gloriæ. Porrò *cognoscit nomen Dei*, qui ejus potentiam, sapientiam, & bonitatem cognoscit, unde in spem, & fiduciam firmissimam e igitur.

℣. 15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione. eripiam eum, & glorificabo eum.*

Quatuor alia promissa recenset. Præcipua conditio, ut oratio exaudiatur, est, *clamabit ad me*: nam clamor indicat vehementiam cordii ex amore, & fiduciâ procedentem. *Exaudiam*, hìc promittitur donum patientiæ: *cum ipso sum &c.* promittitur donum solatii, & lætitiæ spiritualis in adversis. *Eripiam* in morte *eum* ab omni omnino tribulatione. *Glorificabo*

eum

eum : hæc gloria aliquando hìc utcunque, in cælo perfectè impletur.

16. *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Hæc sunt duo beneficia postrema, promissa fidentibus in Deo. Primò hìc describitur vera æternitas, cùm dicitur: *Longitudine dierum &c.* dein vera felicitas, cùm additur: *Et ostendam &c.* Per *salutare* intellige salutem, quæ est visio, & amor Dei.

PSALMUS XCI.

TItulus, & Argumentum: *Psalmus Cantici in die Sabbati.*

Hic titulus habetur in omnibus codicibus, Hebraicis, Græcis, & Latinis: & continet argumentum Psalmi, quod est, ut canetur in die Sabbati ad erudiendum populum, ut discat die Sabbati vacare laudibus Dei, præsertim ob creationem, & gubernationem mundi.

℣. 1. *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime.*

Incipit exhortatione ad laudandum Deum. Confiteri Domino confessionem laudis non tantùm corde, & linguâ, sed & instrumento musico, quale imprimis psalterium est, laudes personare gloriæ tuæ, ô Altissime, *bonum est*, h. e. justum, quia debitum; utile, quia